

ARATI PHAINOMENON FRAGMENTUM

TVM GERMANICO CAESARE INTERPRETE.



Oelum circulis quinque distinguitur, quorum duo extremi maxime frigidi, australis humillimus, & aquilonus excelsissimus. His utrinque proximi duo paralleli uocantur, ut ita dixerim, aequae distantes, ideo tropicus unus solstitialis, alter hybernus, per quem sol transiens ac tenens octauam partem Capricorni, solstitium hybernū facit, alter aestiuus, per quem sol transiens ac tenens octauam partem cancri, solstitium aestiuū facit. Medius est æquinoctialis, qui octauam partem arietis tenens æquinoctium uernum facit, octaua librae, autumnale constituit. Ut circuli in caelo, ita zonae in terra uocantur, inhabitabiles frigidi circuli sunt ob rigorem, quod ab his longissime sol abest. Sub torrido quidam habitare putant Aethiopiae maximam partem: item plurimas insulas maris rubri, aliosque uertices eminentiasque terrarum nostris ampliores, sub tropicis habitare nulli dubium est. Noster solstitialis aestiuus est excelsus atque arduus. Diuisi autem sunt à nobis circulo æquinoctiali, qui antichthones nominantur, & uidetur humiles atque depressi, qui antipodes infra sunt, quod ut esse uideatur efficiunt flexus obliquitatesque terrarum, quas antichthones & antistochae & antisceptae inhabitare dicuntur. Incipit autem signifer non ab extremo circulo, nec ad extremum extenditur, sed ab intimo tropico australi brumalique eodem per æquinoctialem ad summum solstitiale, eundemque estiuale per medium in his longitudo latitudinisque porrectus, obliquae circuli signiferi partes, cccxv. signa xii. partium sigula tricenarum. Quorum quaedam minora, quaedam ampliora & populo canophora dicuntur, sed compensatio quinque partibus creditur applicari, ut sint omnes signiferi partes cccxv. Horum incipientia ab ariete, alia sunt masculorum naturalibus, alia foeminarum. Item quartum quoque eorum aut tropicum, aut solidum, aut deformem, incipiet dinumeratio ab ariete: signa tropicorum duo sunt æquinoctialia, aries & libra, duo solstitialia, capricornus & cancer. Tropicis maxima solida anteposita his deformia.

Hic est stellarum ordo, utrorumque circularum, septentriones duplices ad austrum uertuntur figura auersis caudis inuicem sibi aduersantes, inter quas obliquus dilabitur draco. Sub unius namque pede est serpentarius, cuius serpentarii pedes attingunt frontem scorpionis: à latere autem retro stat custos, sub pedibus quidem eius uirgo habens igneam in manibus spicam. Retrorsus uero uestigiis eius adiacens leo, medio aestiuo solstitio cancer & gemini. Genua autem agitatoris caput gemini attingunt, pedes autem eius tauri cornibus iunguntur, cuius haeduli desuper obtinet locum septentrionis. Habet autem septentrio à dextris iuxta coronam desuper serpente in manibus Serpentarii, & eum qui in geniculo stat, & sinistro pede septentrionalis draconis uerticem calcans unum brachium librae, alterum dans coronae. Nam ad minoris septentrionis ultimus pes Cephei continetur, cygnum manu dextra apprehendens, super cuius alas equus extendit pedem, & super equum Aquarius extollitur, iuxta quem capricornus est. Sub Aquarii pedibus piscis magnus austrinus, ante Cepheum Cassiopeia, & à dorso agitatoris Perseus pedem extendit, super Persei caput Cassiopeia pedibus properate uidetur. Inter cygnum igitur & eum qui in geniculo stat, lyra constituitur. In quorum medio desuper ab oriente delphinus cognoscitur, sub cuius cauda est aquila, in proximo habens serpentarium. Sed iam de aquilonio circulo dictum est, nunc ad australem ordinem properemus.

Sub aculeo scorpionis sacrarium constitutum est, sub corpore eius anteriora Centauri uidentur, in quo est bestia, conspicitur & Sagittarii pes summus ex alia parte sub australi circulo prope centauri membra hydræ cauda, & coruus ad genua uirginis urna est posita à sinistris Orionis, qui & incola, fluuius qui & Padus, necnon & Eridanus sub pedibus Orionis, qui & incola dicitur, lepus splendida effigie conspicitur, retrorsum uero à pedibus